

1432 tos belli socios confugit, ubi tanta Patrum munificen-
tia & liberalitate acceptus est, ut neque patriæ ne-
que amissi principatus (ut ipse postea prædicare sole-
bat) sentiret desiderium. Senescentibus interim in Gal-
lia Philippi rebus, in Hetruria quoque nihilo meliores
erant. Nam & Tollentinas Pontificis stipendia emer-
tus, mox & a Florentinis accersitus, facto in Senen-
sium fines impetu, omnem maritimam oram prædabun-
das excurrit. Junctis inde cum Attendulo copiis, cum
quo sciebat sibi æquatum imperium, aliquot Senensi
populo locis adeptis, omnia Pisani agri oppida bre-
vi ex hoste recepit, Demum ad Montem Topulum cum
Philippi copiis acie congressus, Bernardinum Ubaldi-
num ingenti prælio victum cum tribus millibus equi-
tum cepit: alii mille equites, non amplius captos
dicunt.

*Sigismundi
electi Imper-
atoris Ro-
manorum
iter in Ita-
liam.*

Eodem die, quo ita ad Topulum pugnatum est, Si-
gismundus Caroli filius, Boemiæ atque Ungariæ Rex,
qui ingentibus Philippi adhortationibus cum quatuor mil-
libus equitum in Italiam transierat, Lucam ingressus
est. Fuerat is per aliquot dies Mediolani, ubi ferrea
de more corona donatus, Romam profecturus, Philip-
pi suasu, ne cum Florentinis hospitii nomine gratiam
aliquam iniret, Lucam concesserat, mox inde Senas
transiturus. Eo Florentinorum jussu Tollentinas & At-
tendulus copias admovere: in quos circa urbem copias
circumferentes tradunt impetum a barbaro factum, fuis-
seque Pannonii equitatus impressionem audacissimam, ita
ut eorum nonnulli ad tabernaculum usque Attenduli
pervenerint, in quibus barbarus ingenti præditus sta-
tura, prægravique clava dimicans ducem ipsum gravi-
ter percusserit. Eum vero ferrea casside servatum, haud
ultionem distulisse, sed, vibrato repente gladio, medium
transfixisse hostem; inde barbaros cum Lucensibus fu-
sos, aliquot fortibus viris amissis, intra mœnia trepi-
de compulso. Sigismundum post adversam pugnam Se-
nas demum concessisse ajunt, ubi aliquandiu cum Eu-
genio